All'Em.mo Rev.mo
Sig. Card. Morichini
in omaggio di [illegible]
l'autore

LAVINIAE . CARISSIMAE . FILIAE . SVAE

ALVMNAE . IN . GYNAECEO

AD . VIRGINIS . SANCTAE

REGINAE . ANGELORVM . CAELITVM

FLORENTIAE

QVOD . PRIMVM . CAELESTI . CONVIVIO

DIGNATVR

III . IDVS . APRILES . AN. M . DCCC . LXVIIII .

QVO . DIE . PIVS . IX . PONT . MAX .

POST . ANNOS . L .

ANNIVERSARIVM . SACRVM . FACIT

IOSEPHVS . ROSSIVS . EQ. HIEROSOLYMARIVS

ET . PII . IX . PONT . MAX .

CVBICVLARIVS . MVNERE . HONORARIO

GRATVLATIONIS . ET . LAETITIAE . CAVSSA

HANC . SVAM . DONAT . ELEGIAM

IN HONOREM PII IX. PONT. MAX.

POST ANNOS L.

ANNIVERSARIO SACRO LITANTIS

ELEGIA

Sollemni post lustra decem ritu sacrum ad aras
  Instaurat, magno dignus honore, Pius:
Hanc lucem juvenes votis cupiere senesque,
  Hanc donis simul et carmine concelebrant.
Ecquis adest, sincera hodie cui gaudia non sint?
  Ecquis adest, cui non spes hodie vigeat?
Sive illum teneat, rerum pulcherrima, Roma,
  Sive illum nostrae pars alia Italiae;
Sive habitet, quâ sol immensa lampade terras
  Illustrat; namque est undique laetitia;

Qualis, vere novo, Zephyri spirantibus auris,
Frondet ubique arbor, campus ubique viret.
Quandoquidem columen Pius Orbis et Urbis habetur,
Quo sine mortales quae mala non tremerent?
Quo sine vitam agerent miseram prope more ferarum;
Nulla foret virtus nullaque Relligio;
Vis pro justitia, bellum pro pace valeret,
Acri dulcis amor cederet invidiae;
Ac, veluti rupes ventis immota resistit,
Undas contemnit litus et aequoreas,
Urbs, custode Pio, non sentit damna senectae,
Hostibus a saevis et bene tuta manet;
Et nunc tuta magis, dum votis fervidus implet
Caelum, ac sollicitas duplicat ille preces;
Quandoquidem precibus res ulla potentior haud est,
Quae sane casto pectore proveniunt.
Frustra divitiae jactantur et arma; vocatus
Perdit divitias frangit et arma Deus,
Quem Pius in terris Trinum veneratur et Unum,
Cujus et in terris fungitur ille vice.
Ergo, ut pastor oves docet et bona pabula adire,
Atque malas herbas atque lupos fugere,
Sic docet ille homines et castam degere vitam,
Et Trinum atque Unum rite Deum colere.

Et vitia evitare; latronum ut furta viator
  Providus, ac vitat nauta pericla maris.
Heu demens illum quisquis fastidit et odit,
  Ridet et illius sancta magisteria!
Hunc procul hinc hodie rapiant auraeque pedesque,
  Communem turbet ne male laetitiam;
Aut potius precibus lacrymisque et supplice dextra
  Ipse suae imploret stultitiae veniam,
Plaudat et ipse etiam, dum sacrum instaurat ad aras.
  Iam post lustra decem, dignus honore Pius,
Qui puram asseruit labis te ab origine prima,
  O bona Divinae Virgo parens Sobolis,
Atque, Petri servat quâ maxima Roma sepulcrum,
  Nunc properat magnum cogere Concilium,
Quod totum justis componat legibus Orbem,
  Pacis et optatae munera cara ferat.

Faventiae III. Idus Apriles MDCCCLXVIIII.

FAVENTIAE . E PRAELO CONTIANO.